



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theophili Bernardini E Societate Iesv De Religiosæ Perseverantiae Præsidiis Libri XI. ...

Bernardin, Théophile

Antverpiae, 1622

32. Quid humilitatis exercitia ad perseuerandum conferant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47032)

complectantur; quod profectò, longè quam humiliorum exercitatio, magis aduandum est, & eiusmodi ut ad veram ducat humilitatem, cuius comparanda causa cuncta ista subeuntur. Tum autem sui ipsius contemtionem seruitur, quando sic ea usurpantur, quasi necessarium, minusque voluntarium, & ex alterius præscripto fieret, ex animo nos habendo indignos, reliquumque sermonis, habitus & vitæ modum eiusmodi vilitati, qua decet, conformandò.

CAPVT XXXII.

Quid supradieta humilitatis exercitia ad perseverantiam conferant?

Eiusmodi virtus est humilitas, tamque amplè diffusa, ut eius exercenda plurimæ possint esse rationes & viæ, quatuor tamen eas quas explicui recensuisse contentus, meiple à ceteris continebo. Volentibus, valebunt plurimum, & quod nostræ inscriptionis caput est, perseverantiam dabunt.

Et quidem primo exercitio, quo nihil nobis, Deo verò bona omnia tribuimus, ipsam adeò perseverantiam elucrare, tamque certò videmur, ut constantissime asserere non dubitem, tam eum qui id perpetuò habeat, cadere non posse, quam eum perseverare non posse, qui non habeat: ut enim omnis lapsus à superbia, sui que existimatione ortum ducit, ita diuinæ gratiæ præsidium illis desesse non potest, qui à sui fiducia profus descendentes, in omnibus ab vniuersi liberalissimi Dei largitate sola pendent. Estque istius rei hæc ratio certissima, quòd sit Deus bonorum omnium fons perenne scaturiens, & homo sit malorum, & lapsum, ac perpetuam (si dicere liceat) deficientiæ in deteriora profuuium, quo fit ut horum utrilibet accesserit, eius modum induat, deficientem, inconstantem, elanguidum, quoties ipse sibi præfusus fuerit, at insuperabilem, efflorescentem, & semper vegetum, quoties in Deum abiens, diuino se robore, humilitatis ope munierit. Quapropter, quotiescumque in hoc primo humilitatis exercitio peccatur, perpetuum est & solemne, ut si leuius, si grauius delinquitur, leuiore aut grauiore aliqua secutura prolapsione puniatur: sin autem in cuiuscumque rei aggressionem atque processum, à te plurimum deficiis, maioribus incrementis atque aggragationibus, & firmissimis ad perennandum præsidij roboratis. Experire, & diligentius obserua, qui vales, & ita semper esse comperies.

Alterum humilitatis exercitium, quo nemini nos præferimus, postponimus potius, ferme nititur primo: qui enim sibi nihil tribuit, non videt cur se alteri præferat, vixque ac ne vix quidem fieri potest, ut in hoc secundum impingat, qui in priore non offenderit; cum omnis sui ipsius præ alijs existimatio, quippiam quasi sui iuris & vnde sibi meritò gloriandum sit, assumat; at qui supra de-

mon-

monstrauimus, eum qui sibi sic aliquid adscribit, in primum humilitatis exercitium peccare. Quæ licet ita se habeant, nil tamen repugnat, quin grauius in hoc secundum peccare is possit, quin non nisi admodum leuiter in primum peccet: sunt enim qui offensionum humanarum perquam timidi sunt, qui in hominum opinione momenti plurimum reponunt, qui admurmurantes, tumusculos, velut ingens bonum, cupidè venantur, omni que sinistra existimationis umbra consternati perterrefiunt; hi profectò suarum laudum, & ceteros antecellendi occasionem, vnde cumque oblatam auide arripiunt, inuitissimi cedunt alijs, vltroque ad existimationis & honoris subiectilia prima prorumpunt: sunt, qui licet prima non ambiant, deprimi tamen postponique non ferunt, sibi que non minora quam alijs naturæ, virtutis & gratiæ dona diuinitus esse collata credant. Qui, & similes illorum, furtim semper & clanculum in se quidpiam honoris eius deurgunt, quem totum purissimè in vnum Deum collatum oportuisset; at tamen minùs in eiusmodi usurpationem animum aduertunt, sibi que, solis relictis, in seipsis, modicè de se sentiunt, & admodum obnoxie Deo suo se submitunt: sed in homines eo grauius peccant, quo liberiùs putant aduersus eos erigi se posse. inde contentiones, tixæ, dissidia, inde diuturnæ grauesque dissensiones, inde plurimæ in humana vita offensiones, inde repugnantibus ceteris, multorum que exacerbatis animis, ac potissimè puniente Deo, multa secus quæ sperabamus accidunt, euertuntur nostri conatus, amicitia dissiliunt, tanto ambitu quaesitus honor probro inficitur, vita ipsa tota, totumque contubernium votis frustrantibus amarefcit, susceptus vitæ tenor saltiditur; noua, incerta, intuta consilia, perturbatè & inconstanter agitantur. quæ tam sunt constantiæ perseuerantiæ que pugnantiæ, quam quæ maximè præsertim vbi de vita sociali & cœnobitica agitur; hæc enim communionem reuera omnium, & quandam cunctotam æquationem exigit, cui nihil aduersus est quam amor excellentiæ, fuga demissionis: ipso que rerum vsu patet neminem in communi conuictu gratiorem illo hominè esse, qui nusquam contentiosus, nemini se præfert, posthaberi, de que suo iure decedere semper est paratus; potiora ceteris, sibi deteriora deferri, æquis animis patitur; quo fit vt nullum offensionis locum relinquat, omnesque vitæ suæ partes, sibi semper similis in summa mentis æquabilitate decurrat.

Id ipsum quoque à tertio humilitatis exercitio (quod in sui accusatione situm est) planissimè consequimur, omnino que qui reprehensionum vel criminatio- num impatiens fuerit, necesse est, vt in Religiosa, multorum que oculis exposita vita, in graues aliquando perturbationes incidat, & non rara naufragij pericula subeat: quippe in tanta vel spectantium, vel rerum, vel præsidum varietate, Deo quoque ne sua virtuti desint exercitia vigilante, materiam que certamini appa- rante, fieri non potest, quin subinde, vel supra verum exaggerentur leuia qua- dam, vel bene facta detorqueantur in prauum, vel ex probabili coniectura, fal- sum etiam aliquid affingatur. quibus in rebus, nisi nos ipsos reprehendi, accusa-

ri, puniri patiamur humiliter, necesse fuerit, vt graui molestia pressi, gembundi sub onere luceamus; & si nos ipsos accusare nolimus, quam erit acerbum, tristitia, molestia, dissensionisque plenissimum, cum ad singulos aduersos euentus, modò in hunc, modò in illum, molestiarum causa suspiciosè simul & inuidiosè conferetur? Adhuc nihil ita Deum hominesque mitigat, iratos placat, placatos amicat, atque sui humilis & sincera accusatio: vnde id sequitur, vt ei qui ad se accusandum pronus fuerit, Deo hominibusque propitijs, nihil euenturum sit, quod eius in virtute perseverantiam grauius impugnet: ac si fortè eueuerit, protinus tamen tam humili corde, quasi molli tomento exceptum iaculum, idu cassum concidet, animaque, tam ad sui correptionem parata, inferre vulnuse-rubescet.

Quartum denique humili ratis exercitium apertè id efficit, vt in Religiosis minus nullum nobis esse possit ingratum, & numquam vllum Præpositorum nostrorum detrectemus imperium, quo vno maximam ad perseverandum viam contineri nemo non videt.

Atque hæc de humilitate, vsque ad ad perseverandum necessaria virtute dicta sunt, det bonus Deus, & humillimus Dominus Iesus, factis consequi, quod quomodocumque verbis persequi dedit. Cum autem dederit, imò & cuius cui dedit, non existimet magnum aliquem se esse postquam ista perfecit. etenim si diligentius, quæ sunt antè dicta scrutamur, omnis illa quantacumque humilitatis excelitas, non aliud est, quam ipsa pura & pura veritas, & qui se summopere per omnia humilem præstiterit, non fecit nisi quod vilissimam infimamque naturam suam decuit, nec haber quod Domino Deo suo verius, quam Euangelicum illud dicat, Domine, seruus inutilis ego sum, quod facere debui feci, quid præmij repositam non habeo; bonus es, & pro tua bonitate, secundum iudicium diligentium nomen tuum me iudicabis. Si autem isti magni, & præcellsa humilitate spectabiles, ita de se loquuntur, & eò verè sunt loco; quid de nobis miseris dicemus, quo nos loco habebimus? ò lugendam vilitatem nostram teo que lugendam magis, quo minus eam lugemus!